Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1787

Quelle:
Copyright:

bri in negotio Religionis, et quidem *fol.* I. habetur *Sermo* germanicus *de Adventu S. Spiritus*, dictus, ut ipse notat in margine, *Waldkirchii* in Silva, ut opinor, nigra *Dominica post Ascens.* 1529. qui Sermo non habetur in Collectione edita *Colon.* 1537. f.

Fol. VI. Civitatum *Responsum*, cur *Decreto Spirensi* a. 1529. dato non adquiescant. Germanice hoc initio: *Als uns E. F. G. vnd Gnade am nbesten sambstag Romischer Key. Mt. vnsers allergnedigsten herrn beuelh angetzeigt* &c. Datum *Responsum* hoc, ut narrat *Coelestinus Hist. Comit.* T. II. p. 192. a. 1530. 7. *Julii*, subscriptaeque nobis Civitates: *Strasburg*, *Nurmberg*, *Costnitz*, *Vlm*, *Reutlingen*, *Heylpron*, *Memmingen*, *Lindaw*, *Kempten*, *Windsheim*, *Weissenburg*, *Ysni.*

Fol. XI. *Confessio fidei* nomine IV. Ciuitatum *Argentinae*, *Constantiae*, *Memmingae* et *Lindaviae* Caesari oblata hoc initio: *Jussit Sacrosancta Majestas Tua, Potentissime simul et Clementissime Cæsar, ut ordines statusque Sacri Imperij* &c. Meminit Scripti hujus *Coelestinus* T. IV. p. 93. extatque impressum *Argent.* 1531. 4.

Fol. XXVII. Eadem vernacule hoc Titulo: *Der vbergeben Opinion der Stett Anno* 1530.

Fol. LXXIII. Epistola *Fabri* ad Anonymum, qua simul mittit *Sermones* a se *ad Moravos* habitos *contra Catabaptistas* (impressos primum *Viennae* 1528. 4. Vide *Wiens Buchdruckergesch.* p. 267.) ad petitionem *Hier. Rorarii* Nuntii *Clementis* VII. ad *Ferdinandum* Reg. Rom. Claditur: *In his enim Comitiis ob religionem alioqui lapsam ita angor, et tam assidue crucior, ut vix quoque detur, quo per horam aliquando dormire queam. Quidquid enim uspiam de Religione tractatur restituenda, per meas manus non sine meis maximis laboribus et impensis consulitur atque instituitur.*

Fol. LXXIV. Fragmentum *Responsi* Theologorum Cath. ad Confessionem *Augustanam*, quod incipit: *Inuictissime &c. Quando superioribus diebus quædam Confessio de fide ac Religione nostra catholica coram Cæsarea Majestate Vestra* &c. *Coelestinus* oblatum dicit Caesari 13. *Julii.* T. II. p. 228. Cur non editum, v. *Cochlaeum de Act. et Script. Luth.* p. 217.

Fol. LXXX. *Catalogus Librorum* unacum praedicto *Responso* Caesari exhibitorum. Extat apud *Coelest. loco suprac.*

Fol. LXXXIV. De *Lutheri Doctrina* et erroribus inde prognatis ad Caesarem *Libellus* imperfectus. Incipit: *Quando seruatoris nostri Jesu Christi testimonio arbor, bonane an mala sit, e fructibus cognoscenda uenit* &c.

Fol. XCIII. Elenchus inscriptus: *Hereses Martini Lutheri.* Multo vero prolixior *fol.* XCIX.

Fol. CXIV. *Summa tractatus ad concordandam fidei Causam instituti.*